





EX AVGVSTA
NA CONFESIONE,

Disputatio secunda,

De DEO VNO & Trino.

Cuius Theses,

DIRIGENTE SPIRITV SANCTO,
PRAESIDE ÆGIDIO HVNNIO, Theol. D. &
Professore, M. GEORGIUS RENNERS
Ambergensis, in Collegio Disputationum
Theologicarum privato, die 30. Iunij,
horis & loco solitis defen-
dere conabitur,



VVITTEBERGAE,

Excudebat Matthæus Welack,

ANNO M. D. X C I I I.



Excelsior
ANNOMDCCXII



DE DEO VNO ET TRINO THESIS.

In articulo primo Confessionis Augustanae recensent Ordines protestantes, quid Ecclesie sue de Trinitate doceant, videlicet decretum Nicenae Synodi (auctoritate Imperatoris Constantini olim indictae, & per 318 patres celebratae, ac Arianae heresi oppositae) de unitate essentiae divinae & tribus personis sine dubitatione credendum esse.

2. Et quidem proxima disputatione monuimus, diligenter observandum esse hoc initium Confessionis: Docent Ecclesie nostrae &c. quod deinde per singulos articulos unico verbo plurali (Docent) repetitur, facit enim ad confundendos Sacramentarios, qui vel ab unius alicuius privati hominis sententia estimandam hanc confessionem autumant, vel ad eius arbitrium mutationem illius in verbis ac sensu suscipi potuisse garrunt.

3. Voluerunt autem inclyti Confessores circa huius Articuli assertionem meminisse decreti Nicenae Synodi, ad eximendam Imperatori suspicionem, Pontificiorum clamoribus concitatam, quasi nostrates concilia promiscue uniuersa damnent. Quod circa principium confessionis ipso facto refellendum esse putarunt.

4. Nec tamen Nicenae Synodi decreto per se ac citra sacram literarum auctoritatem, standum esse iudicarunt, sed tantum ideo, quod indubitatis & immotis testimonijs Propheticae & Apostolicae scripturae noverant illud esse superstruatum.

5. Ponitur autem definitio DEI haec: quod sit una essentia divina, quae & appelletur & sit DEVS, eternus, incorporeus,
A 2 impar-

impartibilis, immensa potentia sapientia & bonitate, creator, & conseruator omnium rerum, visibilium & inuisibilium: & tamen tres sint Personae eiusdem essentiae & potentiae, & coaeternae, Pater, filius, & Spiritus sanctus.

6. Huius descriptionis membra singula nisi suis in scriptura testimonijs, porro demonstrabimus.

Essentia. 7. Essentiae vox fundata extat in ipso sacro sancto DEI nomine, IEHOVA. Siquidem Iehua nihil aliud significat, quam essentiam.

8. Hinc de nomine suo quaesitus Dominus, ab essendo id deducit, Mosi respondens Exod. 3. ERO, qui ERO. Et paulo post: dices filijs Israel: ERO misit me ad vos. Et addit, IEHOVA misit me ad vos: hoc nomen meum in seculum. Idemq; repetit cap. 6. Ego IEHOVA, apparuiq; Abrahae, Isaaco, & Iacobo in DEO omnipotente: at nomine meo (IEHOVA) non sum cognitus eis.

9. Hinc sibi vendicat titulum essentiae sive τὸ ὄντως, Apocalypseos capite primo bis usurpatum: qui est, qui ERAT, & qui venturus est: ac deinde in trisagio Apocal. 4. his verbis repetitum: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus DEVS omnipotens, qui EST, qui ERAT & qui venturus est.

10. Est ergo DEVS mera essentia, omnium omnino accidentium simplicissime expers.

Vna. 11. Hae essentia DEI ad numerum una est, Quod Moses testatur, clamans: Audi Israel, Dominus Deus tuus IEHOVA unus est. Deut. 6. Et explicatur hoc Marci 12. quod unus sit Deus, & non sit alius praeter illum.

12. Ad eundem modum Paulus Apostolus scribit, 1. Cor. 8. Scimus, quod nullus Deus sit alius, nisi unus. Nam etsi sunt, qui dicantur Dii, sive in caelo sive in terra, quemadmodum sunt Dii multi & Domini multi: nobis tamen unus est DEVS.

13. Quae duo testimonia potenter arguunt, non generis aut
speciei

speciei unitatem logicam, aut quamcumq; aliam accidentialem notari, sed unitatem essentiae, & ad numerum intellecta.

14. Quandoquidem extra controuersiam est, unum Iehouam apud Mosen unam designare essentiam: & quia haec unitas in allegato Pauli testimonio multitudini opponitur: conficitur inde, essentiae multitudinem ex hoc mysterio simpliciter excludi.

15. Idem confirmat Dominus apud Esaiam, quoties ait: Ego Iehoua, & praeter me non est alius: Ego primus & nouissimus, & praeter me non est Deus. Idemq; repetitur Exod. 20. Esa. 41. Malach. 1. Gal. 3. 1. Tim. 2. Iac. 2. Esa. 41.
42. 43.

16. Hec essentia una dicitur est & DEVS, quod & veteris Testamenti scriptura voce EL & Elohim: Et Testamenti noui liber vocabulo θεός, indicare & exprimere voluit: Vnde 44. &
45.
DEVS. tandem hoc nomen deriuetur, siue, ut Damascenus lib. 1. Orthod. fidei cap. 12. disputat, à δειπ, id est, currere & disponere uniuersa: siue ab αιδειπ id est, urere (quod DEVS sit ignis omnem malitiam consumens) siue à δεισθαι, id est, tueri omnia.

17. Aeternum esse DEVM Moses testatur, Psal. 90. & Esaias 40. ubi non solum aeternitatis epitheton ei tribuitur, sed simul ipsa haec Dei aeternitas negatione temporalis principij atq; finis definitur, & clarè enunciatur, quod Deus sit ab aeterno in aeternum: nimirum ille primus & nouissimus, de quo Esa. 41. α. & ω. Apocal. 1. habitans aeternitatem. Esa. 57. nec crescens annis nec decrescens, Psal. 120. Corā quo mille anni sunt, ut dies iam praeterlapsus. Psalm. 90. Ideoq; sine tempore presentissima contuetur omnia. Ierc. 32, Eccles. 17. 23. & 39.

18. Incorporeum illum esse constat, quia spiritus est. Iohan. 4. & 2. Cor. 3. Spiritus autem carnem & ossa non habet. In corporeus. Luc. 24. Et hoc ipso, quod λόγος scribitur per assumptionem humani corporis & intelligentis animae factus caro, evincitur, quod prius nec caro nec corporeus extiterit.

A 3

Quando

19. Quando igitur membra corporea videtur Deo tribuere Scriptura, ἀνδρῶ ποπαδῶς ad intelligentie nostre captum id dicitur, ex spiritus natura incorporaliter intelligendum.

20. Facies ergo DEI manifestationem ipsius: Oculi ἐποπτικῶ eius δῶμαρ & universorum conspētricem virtutem: QS vim voluntatis eius demonstratricem: Dextra potentiam operum ipsius effectricem, & c. similitudine à nobis desumpta significat.

Impartibilis.

21. Spiritus verò cum sit DEV S, erit utique omnis compositionis, & quae huic opponitur, partitionis ac divisionis ex-pers. Spiritus enim partem extra partem non habet, sed est ὅλωσ ὅλοντι.

22. Non solum autem in essentia partes dividuus non est. DEV S, ut res corporea: sed ne quidem in essentiam & qualitates dividitur aut distinguitur, ut Angeli, qui quod concreatis accidētibus seu qualitatibus perficerentur, mutabiles erant, ut malorum Angelorum lapsus, & bonorum in bono confirmatio declaravit. Dei autem οὐσία omnem omnino vel compositionem vel divisionem absolutissima sua simplicitate respuit: nec quicquam in ipso est, quod ab eius essentia sit reverà diversum.

Diff'za s'lon.

23. Quamvis enim in tres hypostasēs distinguitur: tamen harum quaelibet ab essentia non nisi τῶ λόγῳ seu ratione differt: simul iuncte verò ab essentia Deitatis nec ratione nec re ipsa differunt, sed simplicissimè sunt unus ille DEV S, una illa essentia Deitatis absolutè intellecta.

Immensa potentia.

24. Itaque cum in descriptione DEI additur: Immensa potentia, sapientia, bonitate: non accidentia notantur, sed his, quid per naturam & essentiam sit DEV S, exponitur.

25. Potentia igitur eius immensa est, nullisq; finibus terminata.



minata, qua facit magna & impervestigabilia & mirabilia absq; numero Iob. 9.

62. Hinc coram DEO nihil esse impossibile, Ieremias, & ex Ieremia Gabriel Angelus enunciat. Ierem. 32. Luc. 1.

27. Et licet aliquid impossibile videatur esse DEO coram oculis nostris, non tamen id impossibile est in DEI oculis.

Zach. 8. qui vocat ea, qua non sunt, ut sint. Rom. 4. ne quidem in arduo illo creationis opere lassatus aut defagitatus est. Esa. 40 qui cumulatè facere potest ultra omne, quod

vel petimus vel cogitamus. Ephes. 3. qua de causa solus ipse potens dicitur, Psal. 62, imò omnipotens. Gen. 17. Exod. 6.

& 15. & alibi.

28. Sapientia quoque DEI immensa est, nec intelligentie eius ulla est pervestigatio Esa. 40. sciens & supra temporis rationes incommutabiliter aspiciens presentia, preterita & futura. Esa. 41. Ier. 32. Eccles. 17. 23. & 39.

Sapientia.

29. Quae causa est, ut, quemadmodum in Psalmo dicitur SOLVS potens: sic Timoth. 1. SOLVS sapiens predicatur.

30. Bonitas DEI itidem est immensa: tanta quippe, Bonitate quantus est ipse. Eccles. 2. Quamobrem etiam SOLVS predicatur bonus. Iuxta illud Christi: Nemo bonus, nisi unus, nempe Deus. Matth. 19.

31. Atque idcirco *ἀγαθὸς* eruditè iuxtā nominatur ac piè: Summum quippe per essentiam bonum, sui ipsius communicativum, non solum intra Deitatis *ὄντος* qua Pater vitam quam habet in semetipso, dat & Filio habere in semetipso, Iohan. 5. adeò ut omnia, quaecunque habet Pater, sint Christi, Iohan. 16. & 17. Sed etiam quatenus bonitate sua foràs egrediens, aeternam & caelestem beatitudinem suam cum creaturis, angelis & hominibus, communicat.

32. Illud quidem intra se, per absolutam necessitatem: hoc

hoc verò extra se, per liberam voluntatem, illud per naturam:
hoc verò per gratiam.

Creator
rerum
omnium 33. Huc pertinet, quod subiungitur in Articulo: Creator
& conseruator omnium rerum, non tantum visibilium, sed
etiam invisibilium, Coloss. 1.

34. Hoc namq; creationis opere immensa potentia eius enis-
tuit, Iacob. 9 Esa 40. Ier. 33. Sapientia eius eluxit. Omnia
enim in Sapientia fecit Dominus. Psal. 104. Et hæc præfuit
cunctis operibus ipsius. Prouerb. 8. Denique Bonitas eius hinc
patefacta & illustrata est, dum & ea, quæ fecit, erant valde
bona. Gen. 1. & bonitate complectitur ac prosequitur opera
sua, nihil eorum odio habens, quorum effector est, Sap. 11.

Conser-
vator. 35. Est verò & conseruator rerum, quas condidit, fouens,
mouens & sustentans illas; sicut scriptum est: In ipso sumus,
vivimus & movemur. Act. 17. Citra quam sustentationem
DEI, ne ad momentum quidem posset ulla res creata consi-
stere.

Pater,
Filius &
Spiritus
sanctus. 36. Porro hic DEVS, cuius Essentialis unitas explicata
modò est, dicitur & est Pater, Filius, & Spiritus sanctus: unus
ad numerum & *κατ' οὐρανόν* Deus: caterum personis realiter di-
stinctis trinus.

37. Hoc mysterium pluralitatis personarum in scriptura
veteris etiam testamenti patefactum & fundatum extat.

38. Ideo namq; Deus Elohim dicitur, hoc est Dij, statim
in vestibulo scripturæ Mosaicæ, quando Propheta descriptu-
rus historiam creationis rerum sic orditur: in principio cre-
auit Elohim, Dij.

39. Quod nomen pluralis numeri complexu significati sui
totam Trinitatem designans, mox in personas distinctas
spargitur, dum Moses introducit Deum patrem, DICENDO
seu verbo unigenito suo creantem omnia, Spirituq; sancto
sustentantem ac moventem ea. Gen. 3.

40. Similiter cum totius Trinitatis consilium de condendo homine manifestat, & his verbis quasi consultantem illam introducit: FACIAMUS hominem ad imaginem & similitudinem NOSTRAM, Gen. 3. Gen. 11. ipse Iehova dixisse scribitur: DESCENDAMUS, ut CONFUNDAMUS linguas eorum.

41. Et illustre est, quod Gen. 19. Iehova à Iehova, DOMINUS à DOMINO super Sodomam & Gomorrham ignem & sulphur pluisse memoratur.

42. Neque negligendum, quod in historia Patriarche Iacobi legitur: vocavit locum Bethel (id est, domum DEI, DEO ergò dicatam, non Angelis) quontam ibi REVELATI SUNT ad illum Elohim, Dij. Gen. 35.

43. Quodq; Deut. 5. memoratur: Quae fuit unquam Caro, quae audiuit verba DEORVM VIVENTIUM, Iehovae Dei nostri? Et Ios. 24. Non potestis servire Iehovae, quoniam DII SANCTI ipse.

44. David Psal. 33. Personas singulas Deitatis exprimit, ita canens: VERBO (quod est Filius DEI, Iohan. 1.) Iehovae (Patris) caeli firmati sunt; ET SPIRITUS oris eius) qui est Spiritus sanctus, ex incorporali ore Deitatis patris procedens (omnis virtus eorum).

45. τῷ ἁγίῳ quòq; Esa. 6. à beatis Seraphim decantatum & in Apocalypsi cap. 4. repetitum, videlicet: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus &c. pertinet ad unitatem essentiae Dei in personarum Trinitate celebrandum. Quod & per se minime obscurum est, & in Novo Testamento tota ea visio Prophetae Esaiæ, cuius hic hymnus pars quedam est, refertur etiam ad Filiū, Iohan. 12. refertur ad Spiritum sanctū, Act. 28.

46. Sic Ose. 1. dicitur Iehova saluare populum Iuda in Iehova DEO ipsius, id est, in unigenito Filio suo.

47. Sic Zach. 2. refert Iehova, se missum esse à Iehova, Filium nimirum à Patre, consimili planè modo, quo & Esa.

B

48 dicit

48. dicit Messias: A principio non in abscondito locutus sum: à tempore, quo fuit ipsa, ibi eram: Et nunc Dominus Iehoua misit me & Spiritus eius. Vbi totius Trinitatis aperta mentio fit.

48. Sic Malach. 1. Si ego sum Adonim (id est, Domini, in plurali numero) ubi timor meus?

49. Et quoties apparuisse scribitur Angelus Iehoua, atq; hic Angelus ipse quoq; Iehoua nominatur, aut certè opera soli Deo congrua ei tribuuntur; Omnino mysterium adorandæ Trinitatis innuitur.

50. Talia passim occurrunt multa Veluti qui Gen. 16. Angelus Domini appellatur: is aperitè Iehoua ibidem dicitur: Idem fit Gen. 22. Exodi. 3. & 14. Iudicum 6. quod ex contextu allegatorum capitum quàm evidentissimè demonstrari potest.

51. Sic Gen. 32. luctatur Iacob cum Viro, quem Oseas 12 angelum nominat; Eum verè angelum Patriarcha Iacob Deum fuisse dicit: vidi, inquiens, DEVM facie ad faciem. Et ipse ille angelus ait Iacobo: contra DEVM fortis fuisti, quanto magis contra homines preualebis: atq; idcirco Israelem illum, id est, Dei victorem nuncupat, non certè à gregario seu creato aliquo angelo denominatum, sed ab eo, qui est angelus faciei Iehoua, angelus magni consilij, angelus fœderis, & Osea explicante, angelus, cuius nomen est Iehoua exercituum: cui etiam uniuersas suas à malis omnibus liberationes Iacob acceptas fert, ac nepotibus suis ab hoc in signi Angelo benedictionem solenniter precatur, Gen. 48.

52. Iam verò certum est, aliam esse personam Iehouam, cuius hic Angelus esse prædicatur, aliam verò Angelum ipsum, qui huius Iehoua dicitur esse Angelus

53. Imò quotiescunque scriptura veteris Testamenti de Deitate Messie testimonium dicit, veluti Psal. 2. 45. O. Esa. 6. 35. Ier. 23. Mich. 5. & quam plurimis alijs in locis, de quibus

bus agetur disputatione proxima: toties evincitur, plures esse
in Deitate personas: siquidem necessario persona alia sit oportet
Iehoua mittens Messiam, alia vero Messias ipse.

54. Quin adeo Trinitatis arcanum hoc in scriptura Pro-
phetica traditum extat, ut singule Personae suis personalibus
nominibus ac proprietatibus expressa reperiantur.

55. Prima persona etiam in veteri Testamento Pater dicitur,
relatione ad Filium coeternum, 1. Sam. 7. & Psal. 89. eò
quod hodie, id est, in aeternitate filium genuerit, Psal. 2. Se-
cunda Persona dicitur $\lambda\omicron\gamma$, Gen. 1. Psal. 33. Filius item.
psal. 2. 2. Sam. 7. & Prouerb. 30. ubi problema hoc proponitur:
quis stabilivit omnes terminos terra? quoa nomen eius? &
quod est nomen FILII eius, si nosti? Tertia Persona dicitur
Spiritus DEI. Gen. 1. Spiritus oris Domini, Psal. 33. imò diserta
& expressa voce Spiritus sanctus, Psal. 51. Esa. 64. Sap. 1. & 9.

56. In nouo Testamento quia per incarnationem secunda
personae hoc Trinitatis mysterium sic penitus revelatum est,
ut immensi propè laboris sit testimonia omnia singulaq, huc
referre. Iudicamus ad probandū institutum nostrum vel hoc
solum sufficere, quod ab opere incarnationis Filij Dei petitur.

57. Pater enim est, qui mittit filium suum in hunc mun-
dum. Filius assumit carnem, ut in ea liberet genus huma-
num. Spiritus sanctus obumbratione sua ad hoc incarnatio-
nis opus concurrat, prestans, ut virgo concipiat & pariat
Messiam, eundemq, plenitudine sua citra mensuram, & ul-
tra consortes ipsius ungens.

58. Illustris quoq, patefactio Trinitatis in baptismo Sal-
uatoris contigit; ubi Pater voce de super sonante sese manife-
stat; Filius humana carne vestitus & baptisatus astat in Ior-
dane; Spiritus sanctus in specie columbae super Christum bap-
tizatum & orantem descendit. Matth. 3. Luc. 3.

59. Nec minoris evidentiae est, quod Christus explicitam
personarum omnium adorandae Trinitatis mentionem in

ipsa tabula & formula baptismi nostri faciendam esse duxit, mandans Apostolis suis: Baptizate in nomine Patris, Filij & Spiritus sancti.

diff. *Non*

60. He porro persone non ratione tantum, sed re ipsa sunt distincte. Verè namquè alia persona est Pater, alia Filius, alia Spiritus sanctus: adeò ut Christus ipse Patrem à se distinguat ut alium; ALIVS, inquit, est, qui testimonium perhibet de me. Iohan. 5. distinguat etiam à se Spiritum sanctum: Rogabo Patrem, & ALIVM Consolatorem dabit vobis. Iohan. 14.

61. Quin se & Patrem DVOS nominat, & hinc testimonium utriusq; ratum esse docet, quod iuxta legem in ore DVORVM hominum (multoq; magis duarum in Deitate personarum) consistat omne verbum. Iohan. 8. Et Iohannes, TRE S. ait esse, Patrem, Verbum & Spiritum sanctum, 1. Iohan. 5.

62. Quanquam autem has Personas Tres dicere, & aliam atque aliam in Trinitate confiteri fas est: hæ tres tamen persone ratione $\phi\upsilon\sigma\omega\varsigma$ & $\sigma\upsilon\upsilon\iota\alpha\varsigma$ tria non sunt, sed unum; dicente Christo: Ego & Pater VNVM sumus. Iohan. 10. Atq; denuò Iohan. 17. ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Itemq; 1. Iohan. 5. Pater, Sermo, & Spiritus sanctus unum sunt.

62. Vnum verò non sunt accidente, quia in DEVM non cadit accidens nec sunt unum $\nu\mu\sigma\sigma\acute{\alpha}\sigma\theta\epsilon\iota$, quia sunt tres distincte hypostases. Itaq; relinquitur, esse illos unum $\tau\eta\ \sigma\upsilon\upsilon\iota\alpha$, quod testimonia unitatis essentia diuina supra citata potenter & luculenter enunciant.

64. Meritò igitur Augustana Confessio damnat hereses, legitima censura pridem ab Ecclesia damnatas: Manicheorum, qui secuti Manetem Persam duo principia coeterna sunt commenti: DEVM & Materiam: Deum appellarunt lucem & Bonum. Materiam verò Tenebras & Malum Bono bonarum, Malo malorum rerum originem ascribentes.

65. Damnantur Valentiniani, qui secuti Valentinum Aegypti

*AEgyptium, Platoniam & Pythagoricam philosophiam cum
Theologia miscentem, prodigiosam introduxerunt Deorum
multitudinem, ex οὐρανῷ Profundi, quod Patris instar sit, &
Silentij, quod Matris, mirabiliter enatam.*

66. *Damnantur Ariani, qui Filij, ut & Spiritus sancti
Deitatem impiè conuellentem, adorandæ Trinitatis articulū
funditus evertere sunt conati.*

67. *Quorum abominabile dogma Franciscus Davidis,
Blandrata, & alij complures Antitrinitarij ex Orco hac nostra
tempestate resuscitarunt.*

68. *Similiter & Eunomiani, qui Filium ne quidem patri
ὁμοιωσιue similem, nedam ὁμοούσιον seu consubstantialem esse
contenderunt.*

69. *Et Mahumetistæ ex Arianis orti, qui DEVM habe-
re Filium non modò pernegant, sed huius rei assertionem
tanta cum blasphemia coniunctam esse pronunciant, ut mi-
rum non esse statuunt, si ad vocem eam fractus illabatur or-
bis, & montes vallesq; corruant.*

70. *Damnantur & Samosatreniani, veteres ac neoterici,
qui cum tantum unam personam esse contendant, de VERBO
& Spiritu sancto astute & impiè rhetoricantur, quòd nō sint
personæ distinctæ, sed quòd verbum denotet verbum vocale,
& Spiritus motum in rebus creatis significet. Quam hæresin
Michael Servetus Hispanus hoc seculo nostro renovavit.*

71. *Deniq; damnanda iure est enormis protervia Ioannis
Calvini, qui testimonia Spriritus sancti de pluralitate perso-
narum in Deo, itemq; de unitate essentia non pauca strophis
impijs suis in commodum Arianorum, & fraudem Christi-
anae fidei, horribiliter corruptit & deprauavit.*

72. *Et etenim circa locum Gen. 1. Barah Elohim; creavit
Dij suffragatur Calvinus in interpretatione sua contra Chri-
stianos Iudæis, statuentibus, quòd personarum pluralitas inde
colligi non possit: Christianorum autem interpretum exposi-*

sionem, sanctam & veram, parum solidam esse grunnit, imò
glossam violentam viocitare non veretur.

Calvi. in
9. cap.
1. Gnes.

73. Deinde firmissimum illud asserenda contra Iudeos plu-
ralitatis personarum praesidium, quod Gen. 19. his verbis con-
tinetur: pluit Iehoua à Iehova super Sodomam sulphur & ig-
nem; Calvinus noster ita diruere molitur, ut nugetur id mi-
nimè firmum esse, & veteres, qui hinc Christi diuinitatem
probare conati sint, ACRIVSIVD AE OSEXAGITANDO
sine causa TVMLTVARI.

Calu. in
3ap. 35.
Genes.

74. Sed & illud Gen. 35. appellauit locum Bethel, quia AP-
PARVERVNT ad illum Elohim Dij, mavult hic Aristar-
chus ad Angelorum referre personam, quam ad S. Trinitatis
assertionem.

75. Quasi verò Iacobus locum illum ab angelis denominarit,
ut diceretur Bethel seu domus DEI: cum soli Deo sanctum ef-
se voluerit, cui locum eum ceu Templum dedicauerat. Gen. 28.

76. Quomodo verò testimonia Deitatis Filij in scriptura
veteris Testamenti explicanda glossis lubricis suis hebetarit,
& imum fundamentum extruenda hinc probationis in emo-
lumentum impietatis Arianae labefecerit Calvinus: ostende-
tur, fauente Deo, sequente disputatione.

Calvinus
in Iohan.
cap. 10.

77. Iam illud Christi: Ego & Pater unum sumus, quam fla-
gitiosè contra totius Orthodoxae vetustatis, imò contra lucu-
lentissimam ipsius Saluatoris interpretationem tractauit hic
Pseudodoctor, Arianorū glossae palam astipulans hisce verbis:
Ab usi sunt hoc loco veteres, ut probarent Christum esse pa-
tri $\rho\mu\theta\sigma\iota\omega\pi$. NE QVE ENIM CHRISTVS DE VNITATE
SVBSTANTIAE DISPVTAT, SED DE CON-
SENSV. Hec Calvinus.

78. At ipsimet Iudaei, quibuscum res erat Domino, quan-
tumvis aliàs cecati, non obscure cernunt Christum hoc dicto
de Deitate sua testimonium dicere.

79. Ad hanc enim vocem, ut eius loci historia docet, lapi-
dibus

dibus obruendum censent Dominum Iesum obblasphemiam, (ut ip-
sis quidem nominare libuit) quod homo cum sit, faciat seipsum Deum,
80. Neg, inficiatur Dominus, voluisse se Deitatem suam eo sermo-
ne stabilire, sed potius hunc ipsam sensum comprobat. Interim ar-
gumento à minori ad maius ducto perspicue confirmat, blasphemiam
non esse, quòd se FILIVM DEI dixerit.

81. Hec coherentia collatioq, textu declarat irrefutabiliter,
idem esse Christo, quod prius se & patrem affirmavit esse unum,
& quod iam mutata phrasi dicit se filium Dei esse.

82. Et quidem hanc essentia unitatem inter Patrem & se, Chri-
stus operibus suis testatam reddit, adiciens: si non facio opera Pa-
tris mei, nolite credere mihi: si verò facio, et si mihi non credatis,
operibus credite, ut cognoscatis & credatis, quòd ego IN Patre
sum, & Pater IN me est.

83. Quam ipsam phrasin, ab Aliquibus Orthodoxis Patribus ad Es-
sentia unitatem asserendam ex indubitato scopo & circumstan-
tia Textus rectissime accommodatam, Calvinus ibidem peruerte-
re non exhorrescit, scriptitans, his verbis (Ego in Patre, & Pater in
me est) de ESSENTIAE VNITATE sermonem non haberi.

Calvinus
in Ioan.
cap. 10.

84. Planè ut verba eadem Apostolo Philippo dicta Ioan. 14.
Non credis, quòd ego in Patre sum & Pater in me? Item: credite mi-
hi, quòd ego IN Patre sum, & Pater in me: alioqui propter ipsa fa-
cta credite mihi) Calvinus contra mentem Christi contraq, Chri-
stianos interpretes scribit. NON AD DIVINAM ESSENTI-
AM REFERRI, sed ad modum revelationis.

Calvinus
in Ioan.
cap.

85. Simili ratione Calvinus locum, qui extat Ioan. 17. prorsus ad
Arianorum lubitum & placitum interpretatus est. Etenim cum ibi
dicat Saluator: ut unum sint sicut ego & tu VNVM sumus. ipse ser-
monem ait haberi NON simpliciter de diuina Essentia, sed unum
vocari in persona Mediatoris & quatenus caput nostrum est.

Calvinus
in cap.
17 Ioan

86. Et adicit Calvinus: Sic quidem precise multi ex Patribus inter-
pretati sunt, Christum unum esse cum Patre quia eternus sit Deus.
Sed huc eos abripuit contentio cum Arianis, ut concisas sentent-
as IN ALIENVM SENSVM TORQUERENT, At ve.

87. At verò Essentiæ unitatem à Christo notari, sole clarius hinc effulget, quòd istam phrasin de Patris filijq̄ unitate sonantem exponit Saluator per alteram hanc: Ego in te, & tu in me.

88. Iam verò non aliter est vel pater in filio, vel filius in patre, quàm per essentiam. Ergo quia hæc est illius unitatis, quia se & Patrem unum esse confirmavit, periphrasis: conficitur inde, ὁμοῦς unitatem designari quin etiam consensum voluntatis inter Patrem filiumque non accidentalem esse, sed essentialem.

89. Ad huius diuinæ unitatis exemplar confirmari vult discipulos non sub ratione ἰσότητος seu æqualitatis, quasi eodem illo essentiali modo possint fideles unum esse, sed ὁμοότητος seu similitudinis, ut quemadmodum Pater & filius unum sunt per essentiam: sic discipuli suo genere, mensura & modo (accidentali) sint unum.

Luc. 6. 90. Quemadmodum misericordes esse iubentur, perfecti ac iusti,
Matth. 5. sicut & Deus misericors, perfectus & iustus est: non per æqualitatem
1. Ioc. 3. perfectionis substantialis in Deo elucescentis (quod prorsus ἑδω-
τορ est) sed per modum similitudinis & conformitatis, quatenus quæ
in Deo essentialia sunt, in nobis, qui repræsentamus imaginem eius,
accidentalia esse consueverunt.

91. Denique in Iohannis loco: Tres sunt, qui testimonium dant
in cælo: pater, sermo, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt: denuò
Calui-
nus su-
per. 1. Ioh-
han. 5, Calvinus impiam glossam Arianorum apertissimè confirmat, ita scri-
bens: quod dicit, tres esse unum, AD ESSENTIAM NON REFER-
TVR, SED AD CONSENSVM. Et paulò post: non dubium est,
quin pater, sermo & Spiritus, EODEM SENSU dicantur VNVM
esse, quo postea sanguis, aqua & Spiritus.

92. An verò hoc non est Arianis ad calamum dictare, quid Chri-
stianis ex hisce testimonijs scripturæ contra perfidiam Arianorum
depugnantibus respondere possint illi æternæ Deitatis Maiestatisque
Iesu Christi hostes & proditores?

93. Verùm hic desino: proxima namque Disputatione suppetet
ocasio thema hoc alijs insuper documentis ex scriptis eius publicis
pertractandi, & ad oculum demonstrandi, quomodo ad introducen-
dum in orbem Christianum Arianismum non rimam aliquam Cal-
uinus, sed fenestram benè magnam, sed latam portam, sed longè
latequè patentem viam atque campum aperuerit.

FINIS.

AB 61 430

ULB Halle

3

002 694 131



SK





EX AVGVSTA
NA CONFESSIO NE,
Disputatio secunda,

De DEO VNO & Trino.

Cuius Theses,

DIRIGENTE SPIRITV SANCTO,
PRAESIDE ÆGIDIO HVNNIO, Theol. D. &
Professore, M. GEORGIVS RENNERS
Ambergensis, in Collegio Disputationum
Theologicarum privato, die 30. Iunij,
horis & loco solitis defen-
dere conabitur,



VUITEBERGAE,

Excudebat Matthæus Welack,

ANNO M. D. X C I I I.

